

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Epistola IIII

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

dis & aliorum omnium, magis quam tui curam haberem. Præterea me in præsentia illorum rogasti, an meminissem cum primò Syracusas ueni, suasisse me tibi ciuitates Græcas restituere. Egoq; concessi meminisse me: & addidi etiam tunc optimum mihi uideri. Fandum est o Dionysi, quod subinde dictum est. petij equidem utrum id solum tibi consuluissem: an aliud præterea. Ad hæc tu iracunde nimium ac contumeliose respondisti: & alia etiam me præcepisse. Itaq; contumelia tunc in me id fuit, ut putasti: nunc autem afferatio pro somnio est. Rogasti autem me aperte nimium, si bene quid memini, me deridens, an ista præcepissem tibi quasi docto, an non. Respondi te id optime meminisse. At ipse ad hæc adiecit: Ut docto in geometria, an quomodo? Tunc ego quod respondere poteram, reticui: ueritus ne uerbi alicuius exigui causa, nauigatio illa à me expectata, mihi prolata angusta fieret. Cæterum ad illud iam redeamus, quò tendunt hæc omnia. Noli inuidiam conflare mihi, dicens te prohibitum fuisse à me ciuitates Græcas dirutas à Barbaris, restituere: ac Syracusanis gubernationem pro tyrânica regiam mutare. Nihil enim de me potes mentiri, quòd à meis sit moribus alienius. Atqui si foret alicubi sufficiens huius rei iudicium, etiam alia dicerem superioribus clariora: probaremq; manifeste me suasisse tibi ut illa faceres: te autem recusauisse. Nequaquam difficile est ostendere illa futura fuisse optima & tibi & Syracusanis & Siculis omnibus. Si ergo negas te ista dixisse quum dixeris, satis equidem habeo quo te criminer. Quod si fateris, Stesichorum sapientem putat: atq; eius palinodiam, id est cantum superiori contrarium imitatus, ex mendaci sermone te ad uerum traducas.

PLATO DIONYSIO BENE AGERE. EPISTOLA IIII



PUTO manifestam esse per omne tempus propensissimam uoluntatem meam circa singula quæ contigerint, neq; occultum esse uobis, studium conficiendi fuisse mihi nõ aliam magis ob causam, quam ut in rebus honestis honorem consequerer. Censeo enim esse iustum, ut qui reuera boni sunt uiri, & talia faciunt, dignam gloriam consequantur. Præsentia igitur, deo gratias, recte se habent. De futuris uero maximum uobis propositum est certamen. Nam fortitudine quidem, celeritate, ac robore præstare tale est, ut aliorum quoq; esse possit: sed ueritate, iustitia, magnificentiâ, & huiusmodi quadam honestate & dignitate præcellere, ad eos qui ista gerunt, & talium sibi gloriam uendicant, præcæteris attrinet. Manifestum sane est quod dico. Meminisse autem debemus, oportere nos, ut te non latet, plus ab alijs quam uiros à pueris differre. Itaq; constare omnibus debet, tales nos esse, quales uideri uolumus: præsertim cum deo iuuante perfacile sit futurum. Cæteris siquidem hoc contigit, ut multa loca obire compulsi fuerint ad id consequendum: rerum uero tuarum status huiusmodi est, ut ex uniuerso, ut ita dixerim, terrarum orbe unum in locum, & in illo ipso in te unum maxime oculi omnium sint cõuersi. Tanquam igitur subiectus oculis spectatusq; ab omnibus, conare Lycurgum illum antiquum exprimere, & Cyrum: & siquis alius uideatur unquam moribus & publicis institutis excelluisse: præsertim quum sit multorum ac penè omnium uestrorum opinio, post Dionysium sublatum res esse perituras, propter tuam & Heraclidis & Theodoti cæterorumq; nobilium ambitionem & excellendi cupiditatem. Primū quidem optandum est, ne quisquam talis existat: quod siquis apparuerit talis, tu medebere: ut res in melius deducantur. Ridelicet tibi forte uidetur, me ista monere, cum tibi sint nota. Sed ego in theatris cõspicio, certatores à pueris prouocari, nedum ab amicis, qui beneuolentiâ studio cohortari putantur. Vos certe nunc tanquam in teatro quodam certatis. In quo si nostra opera opus est, certiores nos facite. Hic autem perinde se res habent, ut cum uos aderatis. Scribite mihi quid actum sit, quid ue agatur. Nam licet audiamus multa, certi nihil habemus. Multæ à Theodoto & Heraclide feruntur epistolæ Lacedæmona & Æginam. Nos autem, ut dixi, audientes multa de rebus uestris, nihil aperte percipimus. Nec te lateat eam esse de te apud quosdam opinionem, quasi de homine aliquanto minus quam decet, officioso atq; affabili. Memento igitur necessariam esse ad res gerendas, hominum beneuolentiam: auferitas uero solitudinem amicorum parit. Felix esto.